

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Bartholin

Physicae Generalis Praecepta Quae thesum loco in disputationibus esse possunt

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallerfordeus: Pedanus, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730114902>

Druck Freier  Zugang



78. 13.

Oa-3046-~~5~~





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730114902/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730114902/phys_0004)

DFG

1

PHYSICA GENERALIS

PRÆCEPTA

*Quathesum loco in dispus-
tationibus esse possunt*

*Decerpta ex prælectionibüs
Physiologicis publicis*

CASP. BARTHOLINI.



Apud Joannem Hallerfordeum.

ANNO M. DC. XVII.

Genere, ingenio, litteris &
armis Nobiliss. viro,

DN. CHRISTIANO
FRISIO,

DOMINO DE KRA-
gerup &c. Praesidi arcis
Haffniensis amplissimo,

Domino & fautor i suo
cum primis colendo

Hanc Epitomen dicatam cupit

C. Barthalinus.

PROOEMIVM.

De definitione & divisione Physicae.

PHYSICA EST
sciētia corporis na-
turalis, ut naturalis.
Definitum alias Phi-
losophia secunda & na-
turalis, scientia natu-
ralis, Physiologia &c. dictum est à
Tīs φύσεως, à natura.

Genus est Scientia propriè dicta,
vel certa rerum per causas cognitio.
Subjectum scientificum est corpus
naturale; quod commune subjectum
sive proprium, cum additur; quatenus
naturale, vel quatenus ex materia
& forma constat. Finis est subjecti hu-
jus cognitio, ejusdemq; principiorum
& affectionum.

Dividitur Physica in partem cō-
munem & propriam. Com-

Communis vel generalis est quæ agit de principijs & affectionibus corporis naturalis. Specialis de corporis naturalis speciebus, ut sunt corpora.

Simplicia	Elementa	Cælum, &c cælestia corpora.
		Mineralia
Mixta	Inani	Metalla
	mata	Lapides &c.
Perfectè suntq;	Herbe,	Subfructices,
	Insen-	Fruti-
Animata	sibilita-	ut plæ-
	ut plæ-	ces,
	ta,	Arbo-
		res &c.
Sensibilia, ut omnis generis Animalia.		CA.

C A P . I .

De primis corporum naturalium principijs, adeòg de Natura.

Principia sunt quæ non fiunt ex alijs, nec ex se invicem, sed ex illis omnia fiunt.

Suntq; tria : Materia, forma, & Privatio. Priora duo sunt principia constitutionis, rei generatæ, per se &c. Ultimum per accidens. Omnia tria sunt principia generationis & transmutationis.

*Panagirorum tria principia, Sal.
Sulphur, & Mercurium, ut sensibilem
admittimus, non ut prima..*

Materia prima est principium passivum & primum uniuscujusque rei naturalis subjectum ex quo aliquid fit, cum insit non secundum accidens (ut privatio) & cum aliquid corrumpitur, ultimò in idem resolvitur.

Definiunt; alias massa, elementum,
 Mater, Sylva, femina, turpe &c. caput
 per creationem non per generationem:
 est enim materia prima ingenerabilis
 & incorruptibilis. Et ejus finis. 1. For-
 mas & accidentia recipere. 2. Eſſe ſub-
 jectum transmutationis. Potentiam e-
 nim habet ad varias formas ſuccellive
 recipiendas.

Est autem potentia materiae a-
 lia universalis seu remota, i.e. pro-
 pento ad omnes formas indiſtincte a-
 lia particularis seu propinqua ad u-
 mam aliquam formam, precedente per
 maturale aliquod agens dispositione.

Conditiones & proprietates
 materiae ſunt: 1. Quod sit ingenera-
 bilis. 2. Incorruptibilis. 3. Subſtancia
 inpotentia. 4. Merē paſſiva. 5. Per ſe
 informis. 6. Appetens forme. 7. A for-
 ma realiter inseparabilis.

Privatio ēt absentia forme
 natu-

naturalis producendæ in subje-
cto aptò eam recipere. Intelli-
gitur ergo absentia formæ non logica
ejus que fuit vel esse debuit; sed Physi-
ca; ejus que futura est. Estq; vel u-
niversalis, omnium formarum absq;
discrimine; vel particularis & pro-
pingua qua hic intelligitur, & oritur
per previas alterationes in materia;
formaq; adveniente interit.

Forma est principium acti vum
in composito naturali, quod cum
adjuncta materia constituit ut u-
num per se; eq; essentiam & no-
men largitur, estq; causa opera-
tionum in eo propriarum.

Dicitur alias species, στέια,
τὸν τὴν στέιαν, μερίδαις
exemplar seu idea character, termi-
nus & definitio, επιλέξει, hoc est
perfectio vel actus, Platonis divina
soboles.

Intellige autem hic formam substantialem & informantem (non assistancem, ut nauta navi assistit) qua ex potentia materia educitur, id est, oriatur quando materia per varias alterationes satis est disposita.

Finis primus est composito largiri actum & essentiam. A primo ortus est ei dare 1. Appellationem. 2. Definitionem. 3. Existentiam determinatam. 4. Operationem.

Affectiones ergo & proprietates sunt 1. Materiam informare. 2. Operationes varias efficere. 3. Ex materia potentia educi. 4. Esse totum in toto & totum in qualibet ejus parte. 5. Insensus non incurrere. 6. Magis & minus non recipere &c.

Forma autem alia est generica, multis speciebus communis; alia specifica, unius speciei individuis communis; alia numerica, qua propria unius individui.

Hacten.

Hactenus de materia & forma, maximè prout sunt principia essendi vel ut rem constituant: nunc ui sunt principia affectionum v. g. motus & quietis in re constituta, veniunt sub nomine Natura. Natura enim dicitur primò de forma, secundariò & propter formam de materia, unde forma est magis natura quam materia.

Natura est principium & causa motus & quietis ejus in quo est primò, per se & non secundum accidens.

Naturale opponitur fortuito, morali, adoptivo, adventitio, voluntario, violento vel contra naturali, artificiali & praternaturali, supernaturali &c.

Sensus definitionis est: ubi cunq; reperitur motus (id est quavis mutatio, vel quavis motus, maximè localis) vel quies seu possessio illius ad quod sit motus, ibi natura in causa est; modo mo-

3.

tus sit ejus rei in qua est, unde cause externe eliminantur, v. g. Ars, à qua varia motus modificatio. Natura autem quovis modo arte sola est prestantior (tanquam substantia accidentis) non arte cum natura juncta.

Primò: excludit causas organicas. Reliqua verba excludunt que per accidens sunt causa motus.

Dividitur natura in principium passivum & activum, vel materiam & formam. Natura autem primariò est activum & agit. 1. Semper cum nunquam sit otiosa. 2. Necessariò in libertate carentibus, ut ignis necessariò urit. 3. Accuratè ordine atq; successivè, non enim facit saltum. 4. Nihil frustra, sed propter finem. 5. Determinatè, & vitat infinitum. 5. Parcè in rebus prestantioribus: interim non deficit in necessarijs, nec abundat in superfluis.

Cap

C A P. II.

*De Causis corporis naturalis externis
adeoq; de Fato, Fortuna, Casu,
Monstris.*

Nam hactenus de internis materiis & forma. Externæ sunt. Efficientes (atq; ad efficientem universalem referunt Fatum) & finis Fortuna & casus sunt causæ per accidens. Monstra sunt effectus naturæ per accidentis, vel potius defectus.

Efficiens est causa externa à qua fit motus. Ejus divisiones videantur in Enchiridio Metaphysico.

Fatum aliud est 1. Theologicum, estq; Dei de rerum eventibus decretum, consistens in pricipiendo, agendo, permittendo, determinando. Bona fiunt ratione decreti in agendo & pricipiendo positi; Mala in permitendo & determinando in finem bonū. 2. Astrologicum, & sunt vires cor-

pe-

porum cœlestiū & influentia in hac inferiora de quib. in Astrologia , quid & quantum possint. 3. Stoicū, est q̄ connexio absoluta & infallibilis causæ prima cū secundis, ita ut voluntates hominum tam ad bona ; quam ad mala necessitate quadam infligentur. Quod dogma tollit omnem contingentiam, consultationem , honestas leges frustraneas facit, Deum autorem peccati blasphemè statuit &c. 4. Physicum & Aristotelicum est ordo vel dispositio secundarum & naturalium causarum diuinam providentiam exsequentium

Finis est causa externa propter quam res fit , quæq; agens ad agendum movet. Estque primum in intentione , ultimum in exsequitione.

*Divisiones petantur ex Metaph.
Conditiones omnium causarum
communes sunt. 1. Unius effectus plures,*

res esse possunt cause. 2. Causæ esse sibi
in viuē possunt cause, licet non in eo-
dem genere. 3. Causæ sāpe in unum co-
incident. Ut anima est forma homi-
nis, efficiens operationum &c. 4. Idem
esse potest contrariorum causa. 5. Se-
cundæ causa non agunt sine prima, &c.

Fortuna est causa per accidens
eorum quæ per electionem fiunt
rarò, sed alicujus finis gratiâ.

Differit à casu, quod illa tribuatur
tantum agentibus per electionem, id est
bominibus; hic ratione carentibus.

Dividitur in bonam cuius effectus
est bonus, & malam cuius
malus.

Monstrum est effectus na-
turæ per accidens, vel potius
defectus, à solita secundum
speciem dispositione degene-
rans, propter aliquod princi-
piū corruptum. Dictum à mon-
stran-

strandō vel monendo, scilicet res futuras. Finis enim est peccata nostra arguere, & paenam futurā pranunciare.

Efficiens i. Infausti siderum concursus, Angelū boni & mali ex Dei permis-
su &c. 2. Vis formatrix in semine pec-
cans 3. Fortis imaginatio in parentibus
preservium matre concipiente vel gravi-
dā. 4. Caloris vel humidi excessus vel
defectus. 5. Uterus male dispositus
&c.

Materialis causa est Semen &
vel diversi generis (unde variae virtu-
tes formatrices se invicem obturbant,
ut diversa species referantur) vel uni-
us ; quod potest abundare vel deficere,
vel distrahi in partes diversas & dif-
fluere &c.

Dividuntur monstra i. Ex
loco, ut sint terrestria vel marina.
&c. 2. Ex objecto; ut sint in me-
teoris, vel fossiliis & mineralibus, vel
plan-

23.

plantis, vel animalibus & homine. 3o
Ex accidentibus, quantitate vel
qualitate. In quantitate potest esse ex-
cessus vel defectus; ut homo biceps, uno
digeo vel sex, corpore nimis exili vel
grandi &c. Quoad qualitatem, viti-
um esse potest in figura, situ &c. Et ha-
c tenus de principijs vel causis rerum
naturalium; sequuntur affectiones ea-
rumdem seu Accidentia.

CAP. III.

De affectionibus corporis naturalis in
genere, & in specie de ijs quæ desumun-
tur ex categoria Quantitatis, de ipsa
quantitate, loco, tempore & op-
positis, infinito, vacuo &c.

Affectiones corporis naturalis
communiter dividuntur in In-
ternas & externas. Internas nume-
rant Motum (cui quies opponitur)
& finitum, Externas Locum (cui
opponunt vacuum) & tempus,

Suffi-

Sufficientius secundum categorias
 Accidentia sunt: Quantitas, locus,
 tempus, qualitas (prima, secunda &
 tertia) relatio, actio, passio, quae duo
 motum includant tum latè dictum, ut
 generationem & corruptionem:
 tum strictè; ut alterationē, angmen-
 rationem, diminutionem & motū
 localem.

Quantitas est accidens corpo-
 ris Physici primum, finitum, habens
 partes extra partes, in quas dividi-
 potest.

Per quantitatem hic intellige tri-
 nam dimensionem seu extensionem, se-
 condum longitudinem, latitudinem, &
 altitudinem seu profunditatem:

Finitum: infinitum enim quan-
 titate in naturā nullum actu datur.
 Datur tamen infinitum potentiam (que
 nunquam planè in actum transit) &
 vel

vel additione, ut numerus, cui semper aliquid addi potest, quantumvis magnus fuerit; vel divisione, ut magnitudo, in cuius divisione nunquam ad minimum perveniri potest.

Hinc infinirum est extra quod semper aliquid potest accipi.

Regulæ de quantitate. 1. Quantitatis nulla est efficacia. Fluit enim à materia, principio passivo, Omne enim materialium est quantū. 2. Quantitatis vel dimensionis penetratio nulla naturali virtute dari potest, sed solā divinā: Etum modus est inexplicabilis.

Locus est extremum corporis continentis primum, immobile.

Hac affectio non est omnium corporum naturalium, sed tantum corruptibilium & caducorum, subcalescium, (qualia etiam sunt astra que sub parte aliqua cali sunt) sensibilium & nobili-

um;

ium; quibus causa locationis sunt neceſſaria, nempe, conservatio ratione qua-
titatum corporis locantis, & contigu-
tas propter unitatem mundi.

Dicitur enim aliquid esse ali-
cubi. 1. Repletivè, ut Deus, qui u-
biq; presens omnia replet & effientia
& virtute, Majestate ac potentia &c.
non moe & quantitates modo tamen
imperscrutabili. Unde verſus: Enter,
præſenter, Deus hic & ubiq; potenter.
2. Definitivè, ut definiatur aliquid es-
ſe in aliquo ubi quod non ſit extra illud
ubi eo tempore, ut angelus aliquis qui
iama eſt Bergie, non eſt Hafnia. Compe-
nit hic modus 1. & præcipue spiritibus. 2.
Corporibus glorificatis. 3. Ultimo cor-
pori mundo, extra quod cum nullum
ſit corpus aliud continens vel locans,
dicitur in aliquo ubi eſſe, non in loco.
Nonnunquam tamen taxà significatio-
ne locus pro quovis ubi ſumitur. 3. Cir-
cum

cumscriptivè, ut circumscribatur \mathfrak{G}
 continetur ab alio corpore exteriori.
 Et hoc propriè tantum est in loco supra
 definito: \mathfrak{G} vel per se, ut corpus conti-
 nuum ex se habens magnitudinem; vel
 per accidens, ratione alterius; ut par-
 tes ratione totius, accidens ratione sub-
 jecti, anima ratione corporis \mathfrak{G} .

Dicitur extremum, extremitas
 terminus vel superficies concava, pro-
 ximè tangens, ambiens, \mathfrak{G} continens
 locatum. Ideo locus est aequalis locato,
 aequalitate ambitus. Extrema enim
 contiguorum sunt simul.

Dicitur corporis continentis,
 id est, locantis seu ambientis, quod a-
 liquando non est unicum, ut planta
 partim est in terra, partim in aere.
 Ex locis autem partialibus fit unus lo-
 cus totalis \mathfrak{G} aggregatus, toti locato
 respondens.

Dicitur primum: id est proximum

\mathfrak{G}

*E*st immediatum; ut designetur locus proprius. Communis enim locus potest esse plurium locatorum; ut cum dicimus esse in mundo, in templo &c.

Dicitur immobile, scilicet ratione locati mobilis. Quando enim hoc movetur, non simul nec tali motu ejus locus moveretur nisi per accidens: aut nisi sit locus artificialis, ut vas cum aqua contenta moveri potest.

Hac genuina loci essentia est. Falluntur ergo qui locum putant esse aut materiam aut formam rei, aut aliam causam aliquam, aut intervallum seu spatiū aliquod intra superficiem corporis continentis, aut basin aliquam locato substratam, aut dispositionem vel situm corporis partium convenienti distantia inter se ordinatarum: quibus non convenientiunt.

Conditiones loci & axioma-ta quae sequuntur.

I. Lo-

1. Locus non est de essentia locati, sed extraneum & peregrinum accidens, ne inhaerens quidem locato, sed extra locatum adhaerens seu adjacens.
 2. Est separabilis à locato. 3. Proprius est immobilis. 4. Est locato continguus. 5. Continet locatum & ambit undiq;. 6. Ideoq; localis locato, non major nec minor. 7. Ad eum naturaliter unum quodq; fertur, in eoq; conservatur & quiescit. Intellige verò locum naturalem, non violentum, ad quem vires detruditur, ut cum lapis sursum detinetur. 8. Plura corpora esse possunt in uno loco communi, non verò proprio, nisi sint entia aggregata, ut corpora vestita &c. Num autem corpus in pluribus locis totalibus esse non potest vi naturali; at virtute divina seu supernaturali potest; quo respectu tollitur omnis contra

traditio, quam imperitior sibi singit.
ratio.

Partes vel differentiae loci sunt:
sursum, deorsum, dextrorsum, sini-
strorsum, retro, pone.

Vacuum in natura nullum
datur. Ester enim spatum inane
in quo non est corpus. Natura vero
potius aliquid contra ordinem suum fa-
cit, ut scilicet gravia ascendant, & levia
descendant, quam ut vacuu admis-
tat.

Tempus est mensura motus se-
cundum prius & posterius.

Ut alicubi dicitur aliquid esse tri-
pliciter, sic etiam perdurare in existen-
tia; ut triplex durationis sit men-
sura: Tempus, ævum, & æter-
nitas. Tempus propriè est mensura
durationis in rebus naturalibus, corpo-
reis, generalibus & corruptibilibus,
atq; habentibus initium & finem. AE-
vum

vum (quod nonnunquam impropriè modo pro aeternitate, modo pro tempore accipitur) rebus competit initium habentibus sed non finem, ut sunt res spirituales, Angeli & anime. Aeternitas propriè competit soli Deo, nec principium nec finem habenti; immo est ipsa aeternitas.

Dicitur, quod si Mensura vel numerus (numeratus seu Physicus) motus nempe cuiusvis, praesertim localis & hujus pricipiæ cœlestium corporum, unde distinctio temporis in annos, menses &c. non exclusis alijs motibus tam naturalibus quam artificialibus, aut horologijs &c. Metitur autem tempus motum per se, quietem per accidentem.

Dicitur, secundum prius & posterius. Sunt termini à quo & ad quem, ut in motu. Partes temporis sunt præteritum & futurum.

In+

Instantes enim, momentum, vel id vivù, non est temporis pars, sed copula, coherētia vel connexio, quā cetero termino communi partes temporis inter se copulantur. Partes illae temporis non sunt permanentes, adeoq; tempus ipsum non est ens permanens, sed successivus, quod non totum simul existit, sed est in fluxu & successione perpetua.

Conditiones & axioma tade tempore sunt. 1. Tempus est continuum. 2. Et quodammodo idem (ob communem durationem in rebus temporis subjectis) & quodammodo diversum ratione prioris & posterioris. 3. Mensurat motum per se, & à motu mensuratur per accidens. Sic dicimus: Sole est in medio cœli: Erga hora est 12. & vice versa. 4. Tempus non est merum ens rationis, etiam si certae ejus distinctiones ab intellectu sumantur. 5. Tempus habet initium & finem, ideoq; non est aeternū.

CAP.

*De qualitatibus corporis naturalis,
& initio de primis qualitatibus.*

Qualitas corporis naturalis est manifesta vel occulta. Illa est prima vel secunda. Qualitates primæ vel primariæ præter lucem, sunt duæ activæ, calor, & frigus; & duæ passivæ, humiditas & siccitas. Secundæ vel exprimis orte, sunt qualitates tactiles, & reliquo- rum sensuum, objecta. Occulta vel obscuræ, alias tertiae qualitatis dividuntur in Simpathiam & antipathiam.

Lux est qualitas corporis lucidi, qua & ipsum est lucidum, & alia illuminat agitq; in ea. Lumen verò est imago lúcis in corpore diaphano tanquam medio, in instanti rece-

B pta &

pta & expressa. Hoc ergo lucis effectus est & quasi simulacrum, estque in medio; lux vero in corpore lucido tanquam subjecto. Lumen praeceps est qualitas vel accidens partim reale, cum sit aliquid extra operationem intellectus, partim intentionale seu spiritale, cum non moveatur ad motum subjecti, sed pendeat, ab agente a quo producitur.

Lux alia noctu tantum apparet, ut nitedula, quercus putrida, oculorum felium &c. alia & interdiu & noctu, estque vel ignis, vel astrorum. Hoc vel proprium vel mutuatitium.

Oppositorum sunt Tenebrae que sunt lucis privatio. Umbra autem est imminutio luminis interposito opaco.

Utilitates lucis sunt. 1. Medium

illu-

*illuminare in visione. 2. Omnia vi-
viscere & reficere.*

Calor est qualitas primā
actīva congregans homo ge-
nea & disgregans heteroge-
nea. Homogenea hic sunt qua
aliquo modo uniri possunt: ut pix,
cera, butirum, & alia liquabilia
uniri possunt. Sic vice versā de
heterogeneis. v.g. calor in fodinis
separat aurum à terra, & partes
aureas congregat &c.

Effecta caloris per se & pri-
maria sunt 1. Calefacere. 2. Con-
gregare homogenea & disgregare
heterogenea. Secundaria per se
sunt: rarefacere, aperire, diduce-
re, ampliare, attenuare, concoque-
re, digerere, maturare, attrabere,
incidere, solvere, colligare. Effe-
cta per accidens sunt 1. Conden-

sare; indurare & siccare; per humili nimirum evaporationem. 2. Humectare, liquefaciendo frigore concreta. 3. Frigefacere, educendo nempe calorem vel absumento.

Effectum mixtum & commune est corrumpere, quod sic inflammando & urendo.

Calor vel est elementaris, vel cœlestis, vel vitalis, qui tamen specie non differunt.

Frigiditas est qualitas prima activa tam heterogenea, quam homogenea congregans. Sic frigus in glacie stramina, lapides &c. in unam massam cogit.

Effecta primaria & per se sunt 1. Frigefacere. 2. Homogenea & heterogenea congregare. Secundaria per se sunt: cogere & densare, adstringere, incrassare, obstrue-

obstruere, stupefacere, sensum & motum impedire.

Effecta per accidens sunt i.
Calefacere, cogendo videlicet & obsidendo calorem ne egrediatur.
Vocant avulvare. 2. Resolvere & humectare: ut liquet in lacrimis frigore expressis. 3. Exsiccare, ut in glacie.

Effectum mixtum est corruptio, quae fit jugulando & stupefaciendo.

Humidum est quod suo termino difficulter, alieno facilè terminatur. Estq; vel aqueum & crassius cum frigiditate; vel aereum & tenuius cum moderata caliditate.

Effecta primaria 1. Humectare. 2. Quod in definitiore dictum. Secundaria. 1. Aqueum, calorem

E igneum exstinguit: aëreum nūtrit. 2. Aqueum replet corpora & inflat. 3. Impedit liquefactionem. 4. Calorem obtundit. 5. Putredinem & corruptionem facile efficit.

Siccum est, quod suo facilè, alieno termino difficulter clauditur. Etq; vel terrestre & erasum, vel lignum & cene.

Effecta primaria sunt. 1. Siccare. 2. Quod definitio exprimit. Secundaria. 1. Caloris vim promovere & acuere. 2. Siccum terrestre repugnat inflammationi. 3. Siccum putredini & corruptioni resistit. 4. Indurat. 5. Exalat.

C A P. V.

De qualitatibus secundis, & primò detectabilibus & visibilibus.

Qualitates secunda sunt objcta s. sunsum. Qua vero tactus

tactus sunt objecta dicuntur qualitates tactiles, quas communiter referunt ad aliquam primam tanquam originem, ut ex sequentibus in specie liquet.

Levitatem definitur qualitas secunda orta à calore plerumq; apta sursum evehere. Gravitas à frigore, deorsum movens.

Raritatem definitur qualitas secunda, orta ut plurimum à calore, partes habens non probè inter se compactas. Densitas à frigore & crassitate, partes habens bene compactas.

Tenuitas vel subtilitas definitur qualitas secunda à calore, siccitate & raritate, partes habens penetrantes & subtilem. Crassities à frigore &

B 4 den-

densitate ut plurimum oriri putatur.

Durities est qualitas secunda à siccitate orta, partes habens difficulter tactui cedentes. Estq; durum, vel fragile, vel flexible. Mol-lities ab humiditate, vel aqua-
vel aëre. habens partes facile tactui cedentes.

Lævitas seu glabrities est æqualitas superficie, tactui grata. Asperitas partes habet prominentes & tactum offendentes. Hanc siccitati, illam humidicati vulgo acceptam referunt.

Lubricitas ob humiditatem tactum facile effugit.

Ariditas, à siccitate, partes humoris pñè expertes habet, Lensor est tenax lubricitas,

tas ut in pice; cui contraria est
Friabilitas.

A raritate & densitate derivat
vulgus Philosophantium perspic-
cuitatem & opacitatem, cum ta-
men aqua pellucida sit, rarefacta
autem in vaporem, opaca.

Est autem Diaphanum per
quod lumini patet transitus.
Talia corpora pellucida sunt calum,
aer, aqua limpida, vitrum, Cri-
stallus, glacies, alumnen. cornu,
gemma quadam, humores & tu-
nica oculorum &c.

Oritur perspicuitas ex equali-
tate superficierum equaliter sub-
tensarum, adeoq; ex partium aqua
coherentia & unione. E. contra
opacitas ex superficierum confusa
dispositione. Sunt ergo perspicuitas
& opacitas affectiones profundi-
tatis.

B 5

Qua-

Qualitas visibilis est color.
 Color autem est lux opaca.
*Hoc est, lux opaca mixta & modifi-
 cata colorem prae se fert. Lux
 enim est visibile splendidum. Color
 vero lux quasi silens absq[ue] fuigore:
 adeo ut color sit lux non intensa,
 sed imbecillis & extincta que va-
 riè modificata, in vario abit colo-
 res, & qua minor, eò nigro propin-
 quior.*

*Finis coloris est esse visus obje-
 ctum.*

Dividitur color. 1. Alius est
 verus, realis seu permanens, de
 quo jam dictum; alius apparen-
 tionalis, spiritalis seu transi-
 ens, pendens à principio externo,
 ad cuius mutationem (non vero
 subjecti) mutatur. Vel: Realis est
 qui sic ex luce per opacitatem mo-
 disi-

dificata. Apparens ex specie lucis
vel lumine & tenebroso velut ope-
et imagine.

2. Ratione visibilitatis, aliud
est visile majus ledens oculum
aliud aequale, reficiens; aliud mi-
nus, neutrum praestans.

3. A metallis: alias aureus,
plumbeus &c.

4. A plantis, alias Roseus,
Violaceus &c.

5. Ab animalibus, alias mu-
rinus, coracinus &c. & anima-
lium partibus, alias eburneus, lu-
teus &c.

6. A locis, alias Tyrius Hispan-
nus &c. Et elementis alias aqueus,
igneus &c.

7. Colores in se sunt lucidi vel
obscuri. Lucidi sunt omnes pre-
ter nigrum & qui sub nigro sunt:

ut cineritius &c. In albedine est summa lux (respectivè) opacitas minima: contra in nigredine. In rubro lux opacitatem superat. In flavo intensa lux est & non planè remissa opacitas.

Divisio in extremos seu simplices, & medios seu mixtos nulla est. Illos enim vocant album & nigrum; bos, reliquos omnes; ac si ex illis miscerentur. At omnes colores sunt aquæ simplices, & omnes ex varia complicatione lucis & opacitatis generantur. Latè autem cum Aristotele illos simplices vocare licet, quia à maxima & minima pendent luce; bos medios, quia medio modo se habent.

Commodius: aliij sunt primarij, aliij secundarij. Illi simpliciores apparent, ad quos revocari possunt

possunt aliij omnes secundarij tan-
quam degeneres. Et primarij sunt
tantum quinquz hoc ordine: albus,
flavus, ruber, cæruleus, ni-
ger. Addunt aliij viridem &
purpureum: cum tamen ille sit
extenuatus cæruleus, & arte fiat
ex cæruleo & flavo; hic ex rubro,
cæruleo & albo arte confletur.

Albedo est color con-
stans plurima luce, paucissi-
mâ opacitate, maximè visibilis,
adeoque; visum disgregans &
lædens. Ejus gradus varijs sunt:
niveus, lacteus, marmoreus &c.

Proprietates sunt 1. Visum
disgregare & ledere, quia excel-
lens visibile est. 2. Quovis colore
imbui (ob copiam pororum) ni-
grum econtra nullum imbibit co-
lorem. 3. Rerum albarum adspice-

*Quaefferantur animalia pituitosa,
ut ursus.*

Nigredo est color con-
stans luce paucissima, opaci-
tate summa; minimè visibilis.
*Gradus sunt: Piceus, fuscus, luri-
dus &c.*

Proprietates sunt 1. Radios
visivos cogere & congregare. 2.
*Irritare animalia melancholica
adspicientia, ut cervos.*

Flavedo est color ex in-
tensa luce, & non plane re-
missa opacitate. *Est à albedini
proxima, adeq; ejus proprie-
tatum partices. Gradus sunt:
fulvus flammatus, aureus &c.*

Rubor est color conitans
modica luce & opacitate, lu-
ce tamen opacitatem superan-
te. *Gradus sunt: Sanguineus,
rosatus, corallinus &c.*

Pro;

Proprietates sunt: melanobolicis, ut cervis, timorem incutere: sanguinea autem animalia irritare, ut Elephantem, taurum &c. hominem vero ob mediocritatem exilarare.

Cæruleus est color constans modicella luce, opacitate pluscula. Estque nigri vicinus et participat. Proprietas praeterea est: animum delectare et visum. Gradus sunt: Glaucus, Casius &c. Huc revocatur viridis, qui oculus maximè recreat.

CAP. VI.

De reliquis qualitatibus sensilibus,
sapore, odore et sono,

Sapor est qualitas secunda mixta ex humido & sicco vi-

co vi caloris, gustum afficere
apta.

Materia vel subjectum sapori est siccum cum humido mixtum, vel humidum per siccum percolatum. Humidum autem predominatur ut plurimum, ut siccum in odore.

Efficiens est calor humidum decoquens & cum sicco miscens. Debilis enim calor intelligendus, cum sapor aliquis dicitur esse à frigore.

Finis est. 1. Eſſe objectum gus-
sus. 2. Animal edocere quanam
ſint ad uutrimen tum idonea. 3.
Indicare temperamenta in rebus
ſapidis.

Sapidum (cui opponitur in-
ſipidum) vel est temperatum, ut
dulce, vel intemperatum, quod ca-
lidum

lidum vel frigidum. Calidum est
vel cum materia tenui ut acre,
quod vehementius, dicitur acu-
tum; vel cum crassa, & est ama-
rum vel salsum. Frigidum (respe-
ctivè, vel calidum deficiens) cum
materia tenui est acidum; cum
crassa est austерum. Et hac sapi-
da sunt simplicis saporis. Misti
sapores, infiniti ferè sunt; ut acido-
dulcis, dulcamarus &c.

Dulcedo est sapor simplex
ex moderatis calore sicco ter-
restri & humido potissimum
aëreo.

Dulcia ergo sunt temperatè cali-
da & humida, ideoq; 1. Gustui grata,
visceribus amica, & nutritioni ap-
tissima. 2. Benè concocta. 3. Rarefa-
cientia & abstergentia. 4. Matu-
rantia, emollientia laxantia &c.

Dul-

Dulcis Sapor est lacteus, mel-
leus, aquosus; vinosus &c.

Acrimonia est sapor sim-
plex in materia tenui & sicca
ab immoderato calore ortus,
linguam & fauces pungens,
erodens & adurens, ut in pi-
pere &c.

Amaritudo est sapor per
vehementum calorem (mino-
rem tamen quam in acredine) in
crassa & terrestri materia.

Eius vires sunt: Calefacere,
exsiccare, detergere, attenuare,
meatus expurgare, dissolvere, pene-
trare, putredini resistere. &c.

Salsedo est sapor ex multo
humido aqueo & sicco terre-
stri crassiori constans, ortus a
calore vehementi & exsiccante;
at minus quam in acrimonia.

Vires

41.

Vires sunt calefacere, siccare,
moderatè abstergere, abluere & ex-
purgare, modicè penetrare, digere-
re incidere, non nibil erodere, pu-
tredini resistere, gustum grato me-
do efficere &c.

Aciditas est sapor in hu-
mido & sicco tenuioribus per
calorem debilem eductus (vel
frigiditatem respectivè dictam.)

Vires sunt frigefacere, excis-
care, repellere, penetrare, incidere,
attenuare, aperire, contrabere
ventriculum, adeoq; appetitum
excitare.

Austeritas est sapor in ma-
teria crassa per calorem debi-
liorem productus. Dicitur alias
stipticus, & ponticus, & cum ve-
bementior est, acerbus.

Vires sunt: frigefacere, siccare,

iin-

incrassare, adstringere, constipare, ex asperare, fluxiones repellere. &c.

Odor est qualitas secunda, ex calido & sicco prædominante resultans, olfactum movens.

Efficiens ergo est calor, & vel internus blandè miscens calidum cum humido; vel externus, resolvens corpora odorata, ut exhalent.

Materia proxima est siccum cum humido mixtum, ita tamen ut siccum prædominetur, quod mixtum dicitur sapidum, eò quod odoratum sic sapidum.

Finis est i. Esse objectum olfactus. 2. Esse aliquando indicium saporis. 3. Resicere & confortare cor & vitales spiritus, cerebrum, adeoque

adeoq; ingenium & memoriam, &
in genere ad sanitatis custodiam
facere. 4. Ad delectationem homi-
nis facere.

Odor dividitur in exter-
num & medium. Extremi sunt
gratus seu dulcis, & ingratus seu
fætidus, qui amaro saporis apud
Aristotelem analogus est. Inter-
medii sunt: acris, celeriter ac for-
titer sine fastidio sensum feriens;
acerbus cum quadam mordacitate
pungens; acidus &c.

Sonus est qualitas patibi-
lis successiva orta ex aëtis vel
aqua interceptione vel elisio-
ne sonantium corporum colli-
sionem insequente, sensum
auditus movere apta.

Dicitur successiva. Est au-
tem quid successivum, non intrin-
secè,

socè, ut motus, sed per accidens &
analogicè, quia à motione pendet.

Subjectum, vehiculum vel
medium, est aér vel aqua, in
quo tanquam subjecto (non in cor-
pore sonante) recipitur sonus; sed
prius intercepto etis vel fracto.

Efficiens est collisio corpo-
rum sonantium. In sona n. actuali
requiruntur tria. Medium per
quod fit motus, corpus quod per-
cutit, & percussum.

Finis. 1. Esse objectum audi-
tus. 2. Ad delectationem hominis
facere, quod de harmonico sono
in primis verum.

Sonus est extremus vel me-
dius. Ille est vel gravis, tardè
multoq; tempore auditum movensi;
vel acutus, celeriter & paucō
tempore.

D6.

Deinde sonus alias est simplex & directus, qui directe per aërem fertur absq; evidentis repercussione; alias reflexus seu multiplicat⁹, & dicitur Echo, quasi resonantia, estq; sonus evidenter ad auditum reflexus, ob aliquid durum & cavum oppositum. Si ergo plura sunt loca opposita concava & tortuosa, pluries etiam sicut Echo.

Praterea sonus vel est violentus, à corporibus ab extrinseco principio invicem concussis: vel naturalis. Hic vel est in animatorum ut tonitru, fragor lignorum &c. vel animatorum, & dicitur vox quæ vel articulata, constans certis literis & syllabis, & sermo dicitur; vel inarticulata, ut brutorum.

CAP..

De qualitatibus tertij sive occultis, adeoq; de Magia naturali in genere.

Qualitas occulta est potentia quædam naturalis latens, qua res naturalis aliquid agit vel patitur, cuius caussa ex primis vel secundis qualitatibus reddi nequit.

Ut magnetis occulta potentia est trahere ferrum, quod alijs lapidibus impossibile.

Dicuntur he qualitates formales, item totius substantia, virtuales, specificæ &c. Et proficiuntur vel immediatè à forma substantiali cuiq; individuo propriâ, vel mediatae ex peculiari tempore rei cuiusq; qua id occurrga-
et dicitur.

Ex.

*Exactior cognitio harum vi-
ri um naturalium est pars Magiæ
naturalis, ita dictæ, ut distingua-
tur à diabolica illa &c.*

Est enim magia naturalis
qualitatum in rebus naturali-
bus vulgò incognitarum rarer
scientia, quæ agentia & pati-
entia naturalia invicem ita ap-
plicare novit, ut homo in ad-
mirationem rapiatur.

Ejus duo sunt fundamenta
& quasi crura: Physica, sub quâ
Medicina est; & Mathematica.

Dividuntur qualitates occul-
te in Sympathiam & Antipa-
thiam.

Sympathia est occultus quasi
amor & mutua cognatio, vel
conspiratio inter res naturales.

C An.

Antipathia econtra est
occulta rerum discordia & re-
pugnantia, quā una alteram
aversatur aut lædit.

Suntq; Sympathia & antipa-
thia. 1. Inter inanimata, ut mine-
ralia i metalla &c. 2. Inter inani-
mata & animata. 3. Inter plantas
ipsas. 4. Inter plantas & animalia.
5. Inter animalia ipsa. Sunt verò
alia in rebus cum morbis aut par-
tibus corporis humani, de quibus
Medici.

CAP. VIII.

De Relatione, Actione & Paßione
corporum naturalium.

RElatio est quā corpus na-
turale ad aliud refertur.
Estq; continuitas vel conti-
guitas.

Continuum est cuius ex-
tremæ

extrema sunt unum. Contiguum
est cuius extrema sunt simul.
Vel: Contiguitas est rerum quan-
titate separatarum contactus.

Est autem contactus alias
immediatus, alias mediatus.

Immediatus seu corporalis &
manifestus vel est sine actione,
vel cum actione.

Sine actione, est cum duo cor-
pora, situ, figura, & magnitudine
distincta extremitatibus suis seu
superficiebus se mutuo tangunt
absq[ue] ulla actione vel passione, ut
cum due domus se invicem tangunt.

Cum actione, est quando duo
corpora ita se tangunt ut invicem
agent & patiantur, ut cum lae-
vino miscetur.

Mediatus, virtualis vel oc-
cultus est quando unum corpus

C 2 moveat

movet aliud per distantiam aliquam, virtute non superficie contingens. Sic cœlestia corpora agunt in bac inferiora.

Actio Physica est accidentis, quo corpus naturale agit in patiens, sibiique illud assimilare studet. Vel: Agere est mouere ad contrariam patienti qualitatem. Pati est mutari ad contrarium qualitatem.

Mutua enim est inter patiens & agens actio, qua dicitur actio reciproca, reactio & repassio.

Et conjunguntur actio & passio, quia realiter sunt unus motus. Quatenus enim motus ab agente, prodit, dicitur actio; quatenus in paciente recipitur, passio.

Agentis conditio est: ut
sit

fit patienti quodammodo simile,
quodammodo dissimile. Hoc est:
conveniunt genere, subiecto, seu
materia, & different species seu
forma: ut sunt contraria.

Patientis conditio est: ut
sit 1. Proportionatum agenti. 2.
Dispositionem habeat ad patien-
dum: nam actio non recipitur se-
cundum conditionem agentis, sed
secundum dispositionem patientis.

Actio, ut contactus, alia est
mediata, alia immediata. Omnis
enim actio Physica fit per con-
tactum, videlicet vel corporalem
vel virtualem.

Deinde alia est immanens
vel manens in agente, ut nutritio
&c. alia transiens ab agente in
externam materiam, que bujus
considerationis est.

*De motu & quiete itemque de
Mutatione.*

Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia est. *Vet.* Actus mobilis quia mobile.

Definitum hic stricte sumitur, non latè aut generationem & corruptionem includit.

Dicitur actus, scilicet imperfectus (per quem res fit) Entis, id est, ejus quod est in potentia ad maiorem perfectionem.

Est autem unus idemque motus actus & mobilis & moventis. Mobilis subjectivè; effectivè moventis. Movens autem necessario requiri indicat axioma: Quicquid movetur ab alio moveatur;

tur: videlicet, principio vel interno vel externo.

Et præterea ad motum requiruntur: Subjectum, terminus à quo, & ad quem.

Terminorum conditiones sunt: 1. ut sint oppositi. 2. ut sint divisibiles, hoc est, mobile in motu sit partim in termino à quo, partim in termino ad quem.

Efficiens motus universalis infinita est primus motor; finita sunt corpora caelestia. Particularis est cuiuslibet corporis natura.

Materia seu subjectum est corpus mobile.

Forma seu ratio formalis motus est tendentia progressio seu fluxus continuatus & successivus ad formam vel actum quem res habere potest. Ubi vero successio & di-

visibilitas, ibi tempus secundum
prius & posterius. Unde axioma.
Nullus motus fit in instanti, sed
in tempore & successivè.

Finis est, ut corpus varijs
mutationibus sit obnoxium & va-
rias affequatur formas.

Dividitur motus propriè di-
ctus & antea disinitus: 1. In
Actionem, diminutionem,
alterationem, & motum loca-
lem. 2. In naturalem, anima-
lem, violentum.

Naturalis est à principio in-
terno, ut est motus lapidis deor-
sum: Estq; in initio remissior, in
fine fortior.

Animalis dependet ab anima
in animali. Estq; in principio tar-
dior, in medio, concitator, in fine
languidior.

Vio.

Violentus est à principio ex-
terno, ut lapidis in aliū projecti.
Hic motus nō est diuturnus: quia
est contra naturā subjecti mobilis.

3. Ratione temporis, in re-
gularem & irregularem. Ille
est eque velox in principio, medio,
& fine. Hic contra.

4. Secundum partes mobiles,
in uniformem & difformem.
In illo mobile secundum omnes par-
tes aequaliter movetur. In hoc in-
aequaliter.

5. Motus alias est per se,
alias per accidens, ut accidentis
cum subjecto, partis cum toto.

Motui opponitur quies vel im-
mobilitas, hoc est motus vel pri-
vatio vel perfectio. Primo modo
quies est privatio vel cessatio
motus in subjecto apto motum

C. 5. reci-

recipere. Secundo modo: Quies est perfectio & finis motus, vel possessio formæ aut quasi formæ.

Reliqua de quiete ex opposita natura motus intelliguntur.

Mutatio vel Transmutatio strictè sumta pro substantiali, non latè pro quovis motu; Generacionem & corruptionem sub se comprehendit.

Differunt enim mutatio & motus. 1. Illa est de non ente in ens; hic, de subjecto in subjectum, vel de ente in ens. 2. Illa fit in instanti; hic successivè. 3. Hic mutat tantum accidens rei actu existens. Illa v. g. generatio, producit id quod actu antea non erat.

4. In hoc termini utriq. sunt positivi; in illa alter privativi.

CAP:

C A P. X.

De mutatione in specie, nempe de generatione & corruptione.

Generatio est transmutatio totius, nō manente aliquo sensibili utsubjecto eodem. *Vel: Est mutatio à non esse ad esse, per unionem materiæ cum forma, id est quā nova forma substantialis acquiritur; ut cum ex semine humano sit homo, qui antea non erat.*

Corruptio est mutatio ab esse ad non esse, per separacionem materiæ à forma. *Vel: quando forma substantialis abycitur.*

In definitione generationis intellige non ens privativum seu non ens simpliciter, sed ad aliquid, quod est ens potentia, estq; terminus à quo vel privatio forma introducenda.

C 6

Sunt

Sunt haec due mutationes ita
invicem connexae, ut perpetuè una
altera comitetur. Unde axioma: In
substantijs, unius generatio est
corruptio alterius, & viceversa.

Efficiens remota secundum
Deum sunt celestia corpora. Unde il-
lud Sol & homo generant hominem.

Forma definitione est explicata.
Materia ex qua remota est pri-
ma propinquia sunt elementa.

Subjectum quod generatur
vel corruptitur est totum com-
positum.

Finis est specierum conservatio.

CAP. XI.

De motu in specie

Auctio sive accretio est
motus à minori quantita-
te ad majorem. Decretio est
motus à majori ad minorem.

Ter.

Termini ergo sunt major &
minor quantitas.

Alteratio est motus, in
quo eodem sensili subjecto ma-
nente, alterabiles qualitates
mutantur. Hoc est: nova
qualitas acquiritur, vel veteris
abicitur.

Dividitur 1. Secundum spe-
cies qualitatum primarum & se-
cundarum: ut sunt calefactio,
rarefactio &c.

2. In mediatam & imme-
diatam, instar actionis & passionis.

3. In absolutam, quâ sim-
pliter nova qualitas acquiritur &
& comparatum, quâ qualitas non
nova, sed intensior vel remissior
acquiritur.

4. In perfectivam & corru-
ptivam.

*Causa efficiens est omne cor-
pus alterans, v. g. calefaciens in
calefactione. Subjectum est cor-
pus qualitatum capax. Finis in-
ternus est acquisitio nova quali-
tatis. Externus & ultimus est ge-
neratio & corruptio.*

*Latio est motus, quo cor-
pus aliud ubi vel spatium ac-
quirit.*

*Ejus requisita sunt: Mo-
vens, mobile, terminus à quo,
terminus ad quem, medium
aptum, tempus & successio.
&c.*

*Dividitur motus localis. 1. In
velocem, qui minori temporis fit
spatio; & tardum, qui eodem tem-
poris spatio tardius ad terminum
venit quam aliis.*

2. In simplicem & mixtum.

Simp.

**Simplex est rectus vel circu-
laris.**

Rectus fit per lineam re-
ctam, ut in *cœlo* nihil respondeat
nisi punctum. Estque vel à me-
dio seu sursum, qui levium est pro-
prios; vel ad medium seu deor-
sum, qui gravium.

Circularis est qui in orbem
fit circa centrum suum non sursum
neg, deorsum, & à centro aqua-
lem semper retinet distantiam.

Simplex motus simplicium est
corporum; aliquando verò mixto-
rum ob aliquod prædominans ele-
mentum.

Mixtus seu compositus est ex
recto & circulari, diciq, potest
obliquus: ut nubium, ventorum,
animalium &c.

3. In naturalem, violen-
tum, & mixtum.

Mix-

Mixtus appetet in lapide vi detruso.

Naturalis est à principio interno, & sit secundum natu-
ram mobilis, vel cum naturali ejus
propensione. Ut levia secundum
naturam feruntur sursum, gravia
deorsum. Estq; hic in principio
remissior, in fine celerior ratione
medij aëris vel aquæ.

Motus violentus est à prin-
cipio externo; sitq; contra natu-
ram mobilis. Ut cum lapis sur-
sum fertur. In hoc motu princi-
pium fervet, medium tepet, ulti-
ma frigent.

Estque quadruplex. 1. Puh-
sio, quâ mobile à movente pro-
pellitur. Ut sunt impulsio, expul-
sio, projectio, percussio. 2. Tractio,
quâ movens ad se trahit mobile ce-
lerius.

lerius quam suā natura moveretur. 3. Vēctio, cum corpus mobile vehitur non per se, sed per aliud. Ut navigatio, equitatio, portatio &c. 4. Vertigo, volutatio seu circumgyratio, cum mobile in gyrum vertitur, ut in rota molari.

Differunt autem in corporibus sphericis volutatio & gyratio. In hac res manens in eodem loco rotatur in orbem: in illa, res transiens de loco in locum alias atq; alias nobis obvertit partes.

CAP. XII. & ult.

De Mundo.

Hactenus de principijs & affectionibus corporum naturalium. Sequuntur species (in speciali Physica pertractande) quarum collectio Mundus dicitur.

Mun-

Mundus est sistema cæli,
elementorum, & eorumque
in his continentur, à D E O ex
nihilo creatum, in sui gloriam
& hominum utilitatem.

Definitum Gracis & Latinū
ab ornatu dictum exactè definiri
nequit. Mundus enim est ens
collectivum seu per aggregationem;
ad eum ens vel unum per accidens:
in eum forma ejus, est accidentalia
non substantialia loco generis posita
nempe Systema, compages, collec:
tio, vel ordo, & dispositio &c.

Materia mundi constituen:
di erat nihil. Mundus enim creatus
est ex nihilo. Mundi constituti
materia vel partes materiales sunt
omnia corpora naturalia que in
mundo

Effi.

Efficiens est Deus qui mun-
dum liberrimā volūtate, non ne-
cessitate quādam produxit.

Finis Dei gloria & ho-
minum utilitas. Omnia enim
omnino corpora in mundo in ho-
minis usum condita sunt. Et cum
finis habeat rationem boni, Mundus
erat bonus & perfectus ratione
quantitatis, efficientis, virtutis,
figura, dispositionis, ornatus, varie-
tatis specierum, &c.

Affectiones sunt. 1. Mag-
nitudo, qua finita est, uti &
ejus essentia.

2. Numerus. Mundus uni-
cus est; Licer plures per divinam
potentiam esse potuerunt, possunt,
poterunt.

3. Ubi finitum ob magnitu-
dinem finitam. Locus autem Phy-
sicus

sicut mundo non competit; quippe
extra quem aliud corpus continens
vel locans non est.

4. Tempus, ubi notanda,
Creatio mundi in tempore. Mundum enim aeternum statuere, infinitum introducit actu, a quo ipsa etiam Aristoteles Physiologia abborret. 2. Quanto tempore mundum Deus creavit, videlicet a dierum spatio. 3. Quo anni tempore creatus sit mundus, videlicet Autumnali: quod colligitur ex festo collectionis frugum, quod erat in exitu anni: Et ex mense Tiberii Semptember respondente, qui anno fuit initium, usque ad liberationem ex Aegypto. 4. Quanto tempore hactenus duraverit, videlicet secundum plurimos 5504. ab initio mundi

67.

mundi ad hunc 1615. s. Quot dura-
turus sit ; prohibet scriptura in-
quirere.

6. Conditio, est corruptibilitas,
interitus & finis mundi; quem
futurum passim testatur
scriptura.



INDEX

INDEX CAPITUM.

PROOEMIUM
DE DEFINITIONE
ET DIVISIONE
PHYSICÆ.

Cap. 1. De primis corporum naturalium principijs; adeoq; de natura.

Cap. 2. De causis corporis naturalis externis; adeoq; de Fato, Fortuna, Casu, Monstris.

Cap. 3. De affectionib. corporis naturalis in genere, & in specie de ijs que desumuntur ex categoria quantitatis, de ipsa quantitate, loco, tempore, & oppositis: infinito, vacuo, &c.

Cap. 4. De qualitatibus corporis naturalis, & initio de primis qualitatibus.

Cap. 5. De qualitatibus secundis, & primo de tactilib. & visibilibus.

Cap.

Cap. 6. De reliquis qualitatibus sensilibus sapore, odore, & sono.

Cap. 7. De qualitatibus tertijis sive occultis, adeoq; de Magia naturali in genere.

Cap. 8. De Relatione, Actione & passione corporum naturalium.

Cap. 9. De motu & quiete, itemq; de Mutatione in genere.

Cap. 10. De mutatione in specie, nempe de generatione & corruptione.

Cap. 11. De motu in specie.

Cap. 12. & ult. De Mundo.

F I N I S.





RostochI

*Typis Joachimi Pedani,
Acad. Typog.*

ANNO M. DC. XVII.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn730114902/phys_0077](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn730114902/phys_0077)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730114902/phys_0080](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730114902/phys_0080)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn730114902/phys_0081](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn730114902/phys_0081)


DFG

*Codex ms. secundum
Ierobantis et chas.
quacunx.*



materie & salis in hum
apta ad calculum. Deb
inter salis quantitatēs
Hujus tanta esse debet
ne sal illi unitū solvi po
fatiscat, & pulveris in
portione servata, qu
střu materia, eò mag
ratur. Ejusmodi in
alimentis crassis & te
induratis, vino crasso
habente, cerevisia fe
omnia alibi uberioris.

An. Boëtius. Causæ p
salis naturam sunt 1.
civis imbecillitas, 2 si
utraq; composita int
pue, ut ex hactenus i
occulta calculosa
aria à pa



teria
ortio
riam.
diat,
terra
à pro
terre-
indu-
rur ex
fumo
ritatis
c. que
uetur
præter
pulveri-
vel ex
præci-
ffpositio
di-

I N-